



**Cl. Viri Valerii Andreæ Desselii In Academia Lovaniensi
Professoris Regii Erotemata Juris Canonici**

Andreas, Valerius

Coloniae, 1697

XLI. De Regulis juris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62934](#)

De Regulis Juris.

TIT. XLI. & ultimus.

(Omissus & hic Titulus: inde ex Anni,
Vallensi est adjectus)L.I.D.h.
tit.

Regula sumitur ex jure, non verò jus ex
Regula & propterea, postquam de
toto jure Pontificio actum est, sub-
jicitur coronidis loco Tit. De Regu-
lis Iuris; & quidem post Tit. De Verbo-
rum Significat, quia disputatio de vo-
cibus simplicibus præcedere debet
disputationem de compositis.

Dicitur Regula ex eo, quod rectè du-
cat, vel, ut alii volunt, ex eo, quod
regat, vel normam rectè vivendi pra-
beat, vel quod distortum pravamque
corrigat, ut habetur in can. Regula Dis-
3. Et Græcè dicitur Canon. can. Canon.
ead. Dist. 3. Unde & Jus Pontificium
dicitur Canonicum, id est, Regulare.

Quid est Regula apud jurisconsultos?
Jurisconsultis Regula est quadam
compendiosa enarratio multarum re-
rum, variis partibus juris definitarum.
Unde Azo Regulam definit, esse pluti-
um rerum traditionem compendiosa
narratione factam; & Paulus, Jurisca-
d.L.I.D.h.t. Regulam esse, quæ rem, quæ
est, breviter enarrat. Cujuus sensus est,
quod in regula sit oratio, quæ rem, quæ

est, id est, Jus, quod in ipsa controversia
sequi oportet, seu causam ac rationem
plurium rerum in arte juris definita-
rum breviter, id est, generaliter, & qui-
dem ex jure constituto & recepto enar-
rat. Cum enim, ut & in aliis scientiis,
non omnia facta & Individua, utpote
infinita, possint aliqua ratione compre-
hendi ac cognosci, ita neq; Leges, neq;
Senatus consulta ita scrib. potuerunt, *l. 10. ne
vel possunt, ut omnes casus, qui quan-
doque incidunt, comprehendant, * ne-
cessum fuit, exemplo aliarum scientia-
rum, etiam in jure, ex iis, quæ in variis
ejus partibus definita sunt, aliquas ge-
nerales Regulas constituere, quæ con-
tinerent causam & rationem primariā;
quā moti fuerunt prudentes ad ita de-
finiendum, & proinde nobis primariam
rationem juris controversi decidendi
præberent. Sic Ulpianus, cum in diver-
sis juris partibus observasset primum
moribus receptum, deinde Legibus
constitutum, quod fœminæ non pos-
sent esse judices, Magistratum getere,
postulare, curatrices esse, sic de simili-
bus, inde desumptis & constituit uni-
versalem regulam, quod fœminæ ab o-
mnibus civilibus officiis, vel publicis
remoræ sint l. 2. D. eod. Et rursus, cum
variis in partibus juris definitum esset,

Pis.

*l. 10. ne
que Le-
ges D.
DeLL.

pisces, feras bestias, lapillos in litore mari
ris inventos, fieri occupantis, quia in nullius bonis sunt, inde desumpta est haec
cōpendiosa regula, quæ in nullius bonis
sunt, sicut primo occupantis; & sic de similibus. Atque ita patet imprimis, cu
regula dicatur ex jure nasci, non autem
Jus ex Regula. Secundò patet, quanta sit
utilitas Regularum juris, quodque id
sint Regulæ Jurisconsultis quod Medicis Aphorismi, Geometris Postulata; &
cur dicat Jurisconsultus in l. 1. D. eod.
quod si vitiata sit regula, perdere offici
um suum. Porro regulæ, quæ hic tra
duntur, sunt, quod omnis res, per qual
cunque causas nascitur, per easdem dis
solvatur, c. 1. Quod dubia in meliora
partem sint interpretanda c. 2. Quod
necessitas illicitum faciat licitum; simi
les. Quarum prima primariam contine
rationem & causam, cur stipulatio, quæ
est verbis contracta, possit verbis ipso
jure dissolvi; non etiam emptio, locatio,
mutuum, & alii contractus, aliter quam
verbis initi : Item cur emptio, locatio,
mandatum, societas, quæ solo contrario
dissensu dissolvi; & sic de aliis Regulis
Iuris Can. ut fusus hic Pekius, ad quem

Lectorem remittimus.

Finis Libri Quinti.